



Sammlband

I A. f.  
~~177~~ 92.

(1-10)

7+6

A. J. 92 (1-10)



1) Auctores: Martianus Flavius Alyricus et Nicolaus Gallus

REFUTATIO  
IMPIORVM MAN-  
DATORVM, OS SPIRITV SANCTO  
PECCATA ERRORESQVE ARGVEN-  
TI OBSTRVENTIVM.



ACTORVM 5.  
Obedire oportet Deo magis quàm Hominibus.

ESAIÆ 58.  
Clama, ne cesses, quasi Tuba exalta vocem tuam, &  
annuncia Populo meo scelera eorum, & domui Iacob  
peccata eorum.

ESAIÆ 41.  
Nolite timere opprobrium Hominum, & Blasphemias eorum, ne metuatis. Sicut enim Vestimentum, sic comedet eos Vermis: Et sicut lanam, sic deuorabit eos tinea: Salus autem mea in sempiternum erit, &c.

M. D. LXXVII.

REVUE  
MAGAZIN  
DE LA  
REVUE  
DE LA  
REVUE

REVUE  
DE LA  
REVUE



RB. 154 187

L 1481



# Refutatio impiorum Man-

datorum, Os Spiritui Sancto peccata erro-  
resq; arguenti obstru-  
entium.



Um totus hic Mundus per primi Hominiſ lap-  
ſum ſit corruptus, & Satanæ regnum factus,  
Deus ſuccuſſurus generi humano, & indè ſibi  
Eccleſiam collecturus, tum ſua voce allocu-  
tus eſt homines, tum Filium ac Spiritum Sanctum, ei-  
dem legationis gratia miſit: non vt adulentur mundo,  
ſed vt arguant totum mundum de Peccato, omnesq;  
ſub peccatum concludant. Hoc enim extremè neceſſa-  
rium eſt ſaluti hominum, tum quo à falſa in veram Dei  
viam reuocentur homines, tum etiam, vt ſuam ex-  
tremam iniuſtitiam, iramq; DEI ac pœnas agnoſcant,  
ac compensationem tantæ iniuſtitix, placationemq; DEI,  
apud vnicum agnum Dei, peccata mundi tollentem  
quærant.

Iſtud verò officium Spiritus Sancti ei-  
uſq; ſyncerorum  
organorum conſiſtit, nō tantum in accuſatione peccato-  
rum ſecundæ Tabulæ: ſed etiam, idq; vel precipuè pri-  
mæ. In qua cum alia peccata, tum potiffimum falſæ  
opiniones de rebus Religionis, prauiq; cultus & ſimiles  
Errores arguendi ſunt.

Quare horrendum peccatum eſt, quòd hoc tempo-

re: caro & sanguis, audet Spiritui Sancto os obligare, & prohibere, ne arguat peccata, præsertim Errorum ac Corruptelarum, hac tempestate per Ecclesiam Dei latissimè publicisq; scriptis sparsa.

Quod verè est illa horrenda abominatio, in loco sancto posita. Quis enim sanctior locus in tota Ecclesia, quàm officium & Os Spiritus Sancti, quo arguit mundum, de tam varijs erroribus & furoribus, quibus miseri mortales inuoluuntur, & præsertim cum Babilonia Meretrice scortantur.

Refutauimus verò sæpè aliàs nos & alij impiam istam Amnistiam, vt præsertim in libello de Vnitate, & contra varia Osiandristarum mandata, ac contra Francofordense & Hallense Decretum: Quæ pij doctores ac auditores legant, & si vera, ac ex verbo Dei prolata esse repererint, sequantur. Quædam hic breuissimè repetemus.

#### I.

Necesse est arguere peccata, præsertim Errorum & Corruptelarum, quæ summa sunt. Quia id Deus non vno loco seuerissimè mandauit, Sicut Paulus inquit: Insta oportunè & importunè.

#### II.

Quia hoc est extremè necessarium, ad retinendam Veram doctrinam, & repellendam Falsam. Quando enim possunt miseri Christi pusilli, infantes ac lactentes scire, quid verum quidq; falsum sit, nisi moneantur. Quod si extaret.



extaret ipsorum propria ac diserta Condemnatio istorum Errorum, non esset necesse perindè alios Concionatores in eam rem incumbere.

III.

Quia Errores Maioris, Adiaphoristarum & Synergistarum, aliæq; Corruptelæ, hoc tempore per istos homines sparsæ, ac grassantes horribiliter, omniaq; vastantes, nequaquam parui sunt, aut parum nocent, vt abundè ac solidè non tantum nos, sed & alij multi synceri Christi ministri, hæctenus editis scriptis monstrârunt.

IIII.

Quia ipse Deus coelitus, & Filius ipsius in terris agens, omnes Patriarchæ & Prophetæ, Apostoli & sequentes Doctores præcipuè in hoc incubuerunt, vt Veritatem incorruptam propagarent, & omnes contrarios errores ac corruptelas damnarent ac eliminarent.

V.

Quia ista Mandata de Amnistia nihil aliud sunt, quàm oppressio libertatis Ministerij, & omnium iudiciorum Ecclesiæ, quæ toties à tam multis pijs, totq; publicis scriptis, in istis ipsis Controuersijs flagitata sunt, & adhuc flagitantur, ostensis multis ac grauissimis eius postulatio- nis Rationibus.

VI.

Quia ista Mandata secum pugnant, dum volunt argui Papatum, & fingunt se id mandare, quò vnanimiter Papatui resistatur. At quid, ô bone Deus, aliud est Adi-

aphorismus, Maiorismus ac Synergia seu Liberum Arbitrium, quàm merus ac purus Papatus? Id sæpius multisq; nostris & aliorum scriptis publicis monstratum est, & omni tempore, quando volunt, liquidò ac in faciem eis ex verbo Dei ostendetur.

VII.

Quia præter officium potentum est, vt leges imponant Spiritui Sancto, quos Errores aut Corruptelas reprehendere non debeat.

VIII.

Quid tandem est iniustius, quàm processum inchoare ab executione. Vbi tandem, aut in qua Synodo vel disputatione legitime acta, & instituta, iudicialiter pronunciatum est ab Ecclesia, aut aliquibus nostrarum Ecclesiarum Doctoribus, Adiaphorismum, Synergiam & Maiorismum non esse Errores?

IX.

Quia id pugnat cum Augustana Confessione ac Apologia, & tot illust. Augustanæ Confess. statuum, & omnium nostrarum Ecclesiarum, publicis ac celebribus Actionibus. Iam enim fermè 50. annis, perpetuò nostræ Ecclesiæ cum Antichristo de istis ipsis Articulis depugnarunt. Nam Synergia idem est, quod liberi Arbitrij amplificatio & Originalis peccati extenuatio, de quo sine intermissione certatum est cum Papistis. At istorum Synergia prorsus conuenit cum Papatu, ut etiam ipsimet aduersarij Lindanus, Osius, Staphilus, Schola Louaniensis, & alij multi testantur. Pugnat

X.

Pugnat istud Decretum cum Apostolorum Concilio Actor. 15. Idq; vel ipso Maiore teste, qui clarè super Roman. 1. testatur, illos pseudoapostolos, contra quos Apostolica Synodus pronunciauit, docuisse: Bona opera esse necessaria ad salutem, nec sine eis quenquam saluari posse. Quin etiam pugnat cum Maioris Reuocatione, in qua videri vult istam sententiam damnare.

Tacemus iam, quod etiam pugnat cum Apol. Augusta. Confess. quæ clarè hæc verba habet: Nonne Euangelium pollicetur etiam ijs remissionem peccatorum & salutem, qui nulla prorsus habent bona opera, quodq; etiam in schola Vuiteb. olim solenni disputatione iste Error est damnatus.

XI.

Deniq; approbatione Adiaphorismi damnantur omnes nostræ Ecclesiæ, & earum actiones contra Antichristum Rom. Quid enim aliud est Adiaphorismus, quàm redire ad Papam eiusq; totam formam religionis, eiq; sese ac eius Episcopis penitus dedere & subijcere? Cur igitur pugnamus cum eo, eumq; vt hostem Christi accusamus, si pium est illi sese per Adiaphorismum dedere ac subijcere.

XII.

Quia necesse est, omnes homines moneri de horrendis peccatis, per istas tam foedas collusiones cum Antichristo patratas, quibus etiam Persecutio piorum  
A 4. Christi

Christi Confessorum accessit, & iam etiam accedit: quò omnestàm horrenda peccata, iram Dei, pœnasq; agnoscant ac suppliciter deprecantur, iramq; Dei extinguant. Quod nisi factum fuerit, profectò Zelator ille Deus, puniens præsertim ista tam horrenda peccata in tertiam & quartam generationem, horribiter in hac & altera vita, innumeros puniet ac perdet.

XIII.

Quia omnes comprobantes istud Decretum, imò & non contradicentes ei, præsertim Doctores, participes facient semet omnium illorum teterrimorum peccatorum, in proxima illa Collusione admissorum, ac ira Dei pœnisq; onerabunt.

XIIII.

Quia hac ratione summa licentia in Ecclesia Dei dabitur, quasuis novas Corruptelas, nouaq; Somnia proferendi: Quis enim iudicium aut censuram Ecclesie timebit, proposito tali exemplo, tamq; larga spe Amnistiarum, vt iam in Osiandrisimo antea factum est, & nunc istis erroribus fit?

XV.

Quia sic proponetur & confirmabitur illustre ac omnibus imitandum Exemplum, commiscendi ac corrumpendi Religiones, & conciliandi Christum cum Belial. Quod si nostræ ætati iustum fuit fieri cum Antichristo, cur non paulo post erit iustum posteris, aut etiam præsentibus hominibus, agendi cum Mahometo, ingruente

gruente eius super nos Tyrannide, quæ profectò præ fo-  
ribus est, Aut cum quopiam alio impio Ecclesiæ Dei  
oppressore.

### XVI.

Qui huic Mandato parebunt, generationem iusto-  
rum ( vt Psalmus loquitur ) damnabunt, nempe omnes  
pios quotquot sese hactenus istis Erroribus opposuerunt  
eosq; vel antea damnarunt, vel etiam postea vnquam  
damnabunt. Quin etiam ipsum Spiritum Sanctum  
damnabunt, qui per os eorum istos Errores redar-  
guit.

### XVII.

Nec sanè est, quòd quenquam talia hominum præ-  
cepta, irrita facientia Dei Præceptum, moueant. Cum sa-  
tis constet, talium fabros nec intelligere, nec etiam valde  
curare res Religionis, vt quibus etiam non vacet, vel libe-  
at, scrutari Scripturas, sed potius feras. Memorabile sa-  
nè testimonium est, quod Philippus de eis, impresso  
scripto hisce verbis testatus est:

Sæpè etiam in aulicis deliberationibus dixi, viros  
politicos considerare debere, quid obtineant. Conari autem eos rem impossibilem. Et de rebus  
magnis, de Missa, de Canone, cum doctis & astutis ho-  
minibus magna mihi fuerunt præcipuè certamina. Hic  
nobis obijciebatur, nihil mutare volentibus, nos quærere  
ouorum motuum occasiones, conspirare cum alijs gen-  
bus, Patriæ noua bella attrahere. Et erant, qui nomina-

B

tim hunc

tum hunc nostrum consensum nuncupabant Theologi-  
cam Coniurationem, Ac nos miseri tunc ab Aulicis lace-  
rabamur omnibus probris, &c.

XVIII.

Seuerissimè præcipit Deus suis Ministris, Vt exal-  
tent instar Tubæ Vocem suam, & indicent Populo  
peccata: Quin etiam ille minatur, se Animas pereuntium  
ab istis Speculatoribus exacturum esse, nisi manifestissi-  
mè indicent Populo, istos irruentes Hostes, nempe tetra  
peccata ac iram Dei. Qua ergo tandem Conscientia,  
quisquã magis Hominibus quàm Deo obediet, quod nõ  
tantum Apostoli: sed etiam Gentiles, Vt Socrates in  
sua Apologia, damnant: Atq; adeò etiam tota rerum  
natura detestatur,

XIX.

Hoc ipsum est illud summum fidelitatis officium,  
quod Deus vel imprimis à suis synceris Ministris, ac fidif-  
simis Gregis sui Pastoribus exigit, nempe, Vt fortissimè  
& constantissimè depugnent, pro Lege & Grege suo,  
cum omnibus Lupis, vsq; ad Mortem, & certent pro  
iustitia vsq; ad finem. Nec se vllò modo defatigari ac  
expugnari patiantur. Qui igitur non volunt fugitiui  
Mercenarij nomen audire, ac poenas sustinere, sed boni  
Serui in Extrema die LAUDEM simul & premium acci-  
pere, Illi non desinant vllò modo dicere, Lucem esse Lu-  
cem, & Tenebras testari esse Tenebras, monstrare tum  
Veritatem sequendam, tum Errores fugiendos.

Quic

## XX

Quid prodest Sal infatuatum? Quid Canis mutus? Quid Speculator cæcus & mutus? Quid Candela sub modio lucem suam abscondens? Quid Pastor non Gregem, sed semet pascens? Nec Lupos à Grege Domini fidelissimè arcens? Quid Negociator Talentum suum humi defodiens? Quid Oeconomus res Domini sui dilapidans? Quid Seruus malè familiam, cui præpositus est, gubernans, nec in aduentum Domini vigilans? Quid prodest Dux cæcus? Quid præco Voce carens? Quid veræ Viæ monstrator, qui eam monstrare nescit, aut non vult? Quid deniq; talis Doctor, qui Hominibus vult placere, & mavult esse Seruus ac Mancipium, Adulatorq; Satraparū huius Mundi, quā syncerus ac salutaris Ecclesiæ Seruus Christi: Isti profectò omnes ad nihilum sunt aliud utiles, nisi vt foràs proijciantur in Tenebras exteriores, vbi erit horrendus dolor & stridor dentium.

## XXI.

Quàm varij sint Errores ac Corruptelæ Pestilentissimæ, tum in Maioris libris, tum etiam in isto ipso libello Corpore Doctrinæ, quod Ecclesijs ac Ministris Christi inuitis, per violentiam minasq; obtruditur: Satis iam pridem in nostra fideli Admonitione ostēdimus. Vbi Pius ac Veritatis studiosus Lector abundè causarum satis reperiet, cur istis Hominum præceptionibus, in Sacratio Dei locus esse non debeat.

tate,q

## XXII.

B 2

Quid

Quid sibi volunt tandem, ô bone DEVS, isti Achitopheles, Balaaki ac Bileami, qui planè semet in locum Antichristi Romani collocarunt, quiduis pro libitu ac libidine præcipientes, aut potius præcipitantes? Quin potius illo deteriores sunt. Nam ille tum nomen ac speciem Ecclesiastici Gubernatoris habuit, vt maximè rem non præstiterit, tum etiam aliquam speciem, prætextum ac fucum iudicij vel simulati ac insynceri ante executionem exhibuit. At isti sub nomine ac titulo Politici Dominij sibi vtrunq; Gladium rapiunt, alterumq; Pedem in Ecclesia ac Suggestu, alterum in Curia ac Castris habere volunt. Quin etiam propalam suum Processum ab executione incipiunt, sine omni penitus vel vmbra Cognitionis, vt & supra abundè ostendimus.

### XXIII.

Ostendimus plus satis suprà, ista ipsa præsentia Certamina esse illa, quæ iam olim prædicta sunt, quòd cum Antichristo erunt, quòd multi eius imaginem, hoc est, Interim adorabunt, eiusq; Nomen ac Characteres seu Stigmata tanquam fugitiui Serui recipient: quæ sanè sunt ista ipsa Pseudodiaphora cū adiunctis Corruptelis. Verum Synceri Christi Ministri constantissimè vociferari debent: Exite, exite, ex ista Babilone, & immundum non attigeritis, Et, Væ illis qui recipient Stygmata Antichristi, in Manu aut Fronte sua: Nam de Plagis eius copiosè accipient. Quare qui vult esse fidelis Christi Minister ac Miles, is secundum tam antiquas Dei præmonitiones,



titer sese Antichristo & omnibus istis Collusionibus ac  
contaminationibus cum eo opponat.

XXIII

Deniq; damnat istud Decretum illorum proprias  
Actiones & totam præsentem Formam Ecclesiæ. Si  
enim Adiaphorismus est, fuitq; irrepræhensibilis ac pius,  
cur eum tandem abiecerunt? Cur de retenta priori For-  
ma Ecclesiæ ac Religionis gloriantur? Cur eum denuò  
non quamprimum erigunt ac instaurant, & cum Anti-  
christo Romano secundum eum transigunt? Quod si  
eum abiecerunt, vt reprehensibilem ac detestandum,  
Cur eum in Ecclesia Dei quæ est columna Veritatis  
reprehendi non patiuntur? Manifestissimum igitur est  
ista humana Decreta, ipsorum propriam formam  
Religionis ac Ecclesiæ, eorumque Actiones grauissimè  
condemnare.

XXV.

Sunt præter hæc etiam aliæ plurimæ ac grauissi-  
mæ causæ, cur istis Amnistiarijs hominum Decretis, nul-  
lus locus aut ius in Ecclesia ac Religione vera concedi  
possit aut debeat. Nam præter alia etiam extremè Eccle-  
siam Dei sua Libertate priuant, cui vel inprimis fides ac  
Confessio, tum vera propalam aperteq; probans, tum  
etiam falsa improbans, liberrima esse debeat: Eaq; ad  
nullum vllius hominis præscriptum dirigi, sed tantum  
Verbi ac Spiritus Dei Norma gubernari. Pro hac Liber-  
tate, quæ ei sanguine Christi parta est, omnibus modis Ec-

clesia Dei pugnare, & vel sanguinem suum nulli cedendo  
profundere debet. Aut certè illud pulcherrimum Elogi-  
um, quod sit Columna Veritatis, nequaquam retinebit.  
Verum si quos hæ Rationes Testimoniaq; non mouent:  
Illos sanè nec aliæ innumeræ mouebunt.

Te verò Fili Viuentis Dei vnice Rex ac Caput Ec-  
clesiæ tuæ, oramus, obsecramus, ac per Gloriam nominis  
tui, perque Veritatem Verbi ac Oris tui obtestamur, vt  
tu adsis Doctoribus, & Ecclesiæ tuæ, eamq; regas ac  
protegas: rursus omnes potenter reprimas, qui vel collu-  
dunt cum Antichristo, vel alias Corruptelas ac Errores  
spargunt, vel deniq; pro Arbitrio quiduis ei imperitare,  
Os Spiritui S. Mundum, seductoresq; arguenti, obstruere,  
nefarios Corruptelarum Magistros tueri, & deniq; ex  
Domo Domini reuera speluncam latronum, & piorum  
Doctorū lanienā, oppressis necessarijs Ecclesiæ & Doctri-  
næ Controuersiarum dijudicationibus, facere conantur.  
Sic enim certè vnâ cum Patre tuo Cœlesti grauissimè pro-  
misisti Psal. 2. & 110. quòd Aduersarios tuos frementes ac  
conspirantes contra te velis ferreo tuo Sceptro confrin-  
gere. At, beati illi omnes, qui fideliter vigilant super Gre-  
gem eius, & confidunt in eo vsq; in finem.

Qui enim perseuerauerit, ille demum  
coronabitur.

Matthias Flacius Illyricus.

Nicolaus Gallus.

154187

AB: 154187

ULB Halle 3  
002 491 346




d

VD 17

K







REFVTATIO  
IMPIORVM MAN-  
DATORVM, OS SPIRITVI SANCTO  
PECCATA ERRORESQVE ARGVEN-  
TI OBSTRVENTIVM.



ACTORVM 5.

Obedire oportet Deo magis quàm Hominibus.

ESAIÆ 58.

Clama, ne cesses, quasi Tuba exalta vocem tuam, & annuncia Populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.

ESAIÆ 41.

Nolite timere opprobrium Hominum, & Blasphemias eorum, ne metuatis. Sicut enim Vestimentum, sic comedet eos Vermis: Et sicut lanam, sic deuorabit eos tinea: Salus autem mea in sempiternum erit, &c.

M. D. L X V I I.